

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1430

Autre(s) référence(s) : Fauroux 3 / Tabuteau 103

Auteur(s) : Richard Ier, Normandie (duc)

Bénéficiaire(s) : Saint-Denis, Saint-Denis (abbaye)

Genre d'acte : diplôme

Authenticité : non suspect

Datation : 968, 18 mars

Lieu d'émission : Berneval

Action juridique : restitution

Langue du texte : latin

Analyse

Richard Ier, avec l'assentiment de son seigneur Hugues Capet, restitue à Saint-Denis le domaine de Berneval dans le pagus de Talou, que les moines de ce monastère sont venus lui réclamer au plaid de Gisors. Ce bien jadis donné à Saint-Denis par Rollon et Guillaume Longue-Épée leur avait été ravi par un certain évêque Aillemundus. Tout le pouvoir exercé à Berneval, en son nom — qu'il s'agisse de lieu, de personne, ou de chose trouvée — par le comte, le vicomte, le vicaire, le centenier ou tout détenteur du pouvoir judiciaire, Richard Ier le transmet à Saint-Denis.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Doublet Jacques, *Histoire de l'abbaye de S. Denys en France*, Contenant les antiquitez d'icelle, les fondations, prerogatives & privileges. Ensemble les tombeaux et epitaphes des roys, reynes, enfans de France, & autres signalez personnages qui s'y treuvent jusques à present. Le tout recueilly de plusieurs histoire, Paris, Jean de Heuqueville, 1625, p. 815.

b. Fauroux Marie, *Recueil des actes des ducs de Normandie de 911 à 1066*, Caen, Caron (MSAN ; 36), 1961, n° 3, p. 70-72.

Indications

Haskins Charles Homer, *Norman Institutions*, Cambridge, Harvard University Press, 1918, p. 25. Musset Lucien, *Les domaines de l'époque franque et les destinées du régime domanial du IXe au XIe siècle*, Notes pour servir d'introduction à l'histoire foncière de la Normandie, Caen, Caron (BSAN ; 49), 1942-1945, 1 vol., p. 44 ; p. 90, n° 101.

Texte établi d'après b

Oportet unumquemque qui in hac plorationis valle consistit ut semper de sue vite fine animeque remedio studioso cogitet atque discusse timeat, ut coram districti iudicis examine inculpabilis inveniatur. Idcirco, ego, memor finis vite mee dierumque meorum, Ricardis (sic) nomine, Normannorum providis (sic) mardo, cupiens ob amorem Dei omnipotentis loca sanctorum ubiubi (sic) miro semper venerari amore, totis animi mei opto nisibus ut ad meliores sanctorum ecclesie Deo donante de die in diem proveniant statis. Noverit quapropter utrarum gentium Francorum scilicet et Normannorum sollerti providens industria qualiter venerabilis cenobii Christi pretiosorum martirum Dyonisii, Rustici et Eleutherii abbas Gozlinus et monachi adientes nostram presentiam

communi Francorum Normannorumque Gisortis placito petierunt reclamantes ut, pro amore Dei animeque mee lucro, quandam potestatem Britnevallem nomine sitam in pago Tellau quam olim predecessores mei, avus scilicet meus nomine paterque meus Willelmus, partibus Sancti Dyonisii tradiderunt nunc admonitione illorum Sancto Dyonisio redderem. Quorum petitionibus, cum assensu senioris mei Hugonis Francorum principis ceterorumque virorum meorum fidelium, suggestione Radulfi scilicet et Osmundi aurem libentissime accomodans, indixi predictis monachis ut mei presentiam in proximo Rotomis civitate requirere deberent. Qui statim jussionibus nostris promptissime obedientes, quadam die dominica, ante presentiam nostram, conjugis nostre Emme, ceterorumque fidelium nostrorum, in prefata Rotomis civitate venerunt et predictam potestatem cum piscatoriis et portu justa assertione reclamaverunt quam tunc a quodam episcopo nomine Aillemundo per calliditatem callide sublatam dolendo testabantur. Quorum reclamaciones, pro amore Dei predictorumque martyrum, et memoria avi mei Roberti (sic) patrisque mei bone memorie Willelmi, et pro anime mee necnon conjugis regnique mei statu et salute, recto iudicio dissertissime meorum cum consilio dijudicans, elegi per misericordiam Dei ut predictas res, quas prefatus presul Sancto Dyonisio abstulerat injuste, monachis redderem et inde eis tale scriptum perpetuo conservandum facere deberem. Tactus itaque intrinsecus venturi iudicii supremo examine et celestis patrie motus in lucranda mansura eternitate tribuimus, notum igitur fieri decrevimus omnibus fidelibus nostris presentibus et futuris in regno nostro commanentibus quia, pro salute anime nostre et conjugis predecessorumque nostrorum, reddimus et perpetualiter condonamus ipsis sanctis pretiosis martiribus Dyonisio, Rustico et Eleutherio, ad usum commune predictorum fratrum ipsius cenobii, jam fatam potestatem ut ab hac die et deinceps quiete teneant et sine aliqua contradictione perpetualiter possideant, eo videlicet pacto ut omnibus temporibus presentibus et venturis ipsius monasterii monachi successoresque eorum misericordem Dominum exorare non omittant pro nostra parentumque nostrorum salute, et predictam potestatem Britnevallem nomine perpetuo teneant jure, cum omnibus sibi adjacentibus, portu, theloneis, vultaticis, piscatoriis, terris cultis et incultis, pascuis, silvis, exitibus et regressibus, et quicquid exinde aliquid in portu aut in villis, commes aut vicecomes, vicarius seu centenarius, aut aliquis exactor judicarie potestatis, sive propter districtum, aut pro hoste, aut pro inventa re, tenere actenus videretur in nostra dominatione, omnibus volumus scire et perpetualiter adtendere quod de nostro in sancto Dyonisio sociorumque ejus transfundimus potestate. Contestamus igitur et profiteamur per Dominum et per ipsius Filium, nostrum scilicet advocatum, ut nullus nostrorum heres aut successor, comes aut episcopus, vicarius aut centenarius, nec quilibet francus ipsi potestati vicinus audeat hanc donationem nostram violare nec infringere, nec aliquid calumpniam, propter districtum seu propter aliquam causam invente rei, presumat arripere aut usurpare, sed deinceps immunis ab omni hoste aut curte vel districto permaneat nostra donatione. Nam, si quis hujus nostre auctoritatis presumptor aut a diabolo seductus violator reputatus fuerit, quod absit, iram Dei omnipotentis et ipsos martyres pretiosos Dyonisium, Rusticum et Eleutherium cum districto iudice iratos inveniat et eterna dampnatione dampnatus dampnum de se cum diabolo et angelis ejus patiat. Qui vero e contra hoc scriptum servaverit et testis inde verus semper extiterit, ipsis sanctorum martirum intercedentibus meritis, videat que sunt beati perpetualiter in Jherusalem celesti, et ut hec littere plenior omnino tempore habeant firmitatem eas manu nostra corroboravimus, fidelibus nostris ad corroborandum tradidimus. Actum Britnevallis, jussu domni Ricardi incliti comitis, .XV. Kalendas Aprilis, anno quarto decimo, regnante Hlothario rege, indictione undecima. Signum Hugonis archiepiscopi. Signum Hugonis Francorum ducis. Signum Ricardi Normannorum principis. S. Osmundi. S. Rodulfi. S. Aganonis. S. Turistingi . S. Ivonis. S. Walteri comitis. S. Toraldi. S. Alberedi. S. Osberni. S. Theobaldi comitis. S. Waleranni.